Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

num si quomodo illud attrectare possimus et invenire. quamvis non longe sit ab uno quoque nostrum. In ipso enim vivimus. movemur et sumus. sicut quidam vestrorum dixerunt. ipsius etenim genus sumus. Habemus etiam intrinsecus magne nobilitatis originem. iuxta illud Tobie cum uxore loquentis. Filii inquit sanctorum sumus, et non possumus coniungi sicut et gentes que ignorant deum. Ab hac itaque generositate quicumque degenerant et quasi in aliud transeunt genus. cavendi sunt fidelibus. ne eorum pravitatem imitentur. qui ad summi patris similitudinem invitantur. ipso dicente. Sancti eritis. quoniam ego sanctus sum. Cavendum quoque et rectoribus ne ad hunc lapsum subditos precedant. et quibus vite viam debent ostendere. ipsis mortis occasio fiant. Quia vero perversi doctores bona illis voce predicant. que operum suorum perversitate subvertunt. apte subiungitur. Agrum non seres diverso semine. Ager est sancta ecclesia cui per apostolum dicitur: Dei agricultura estis. dei edificatio estis. Semen est verbum dei. Diversum itaque semen in agro hoc seminat. qui super cathedram moysi constitutus. dicit et non facit. bona loquitur et mala operatur. Verbo triticum spargit. exemplo autem suo peccati semen discipulorum cordibus inicit. Videbis tamen quam plures inter quidem corruptos. sed in humanis oculis simulatione dealbatos. qui virtutis habeant speciem sed virtutis non exhibeant veritatem. Quos recte redarguit cum subiungit. Veste que ex duobus texta est non indueris. Que est enim vestis adulterina. et reprehensibili duplicitate contexta. nisi biformis habitus mentis et corporis. cum mundiciam exterius coram hominibus simulamus. immundos autem interius divinis oculis exhibemus. In deuteronomio cum hoc ipsum repeteretur set. non indueris inquit vestimento. quod ex lana linoque contextum est. Lana vero ut a doctoribus nostris iam ante dictum est. opus visibile eo quod grossior lana sit. linum autem quod subtilius est. occultam maliciam designat. Vestem quoque ex duobus ex lana scilicet linoque contextam illi induunt de quibus scriptum est. Qui locuntur pacem cum proximo suo mala autem in cordibus eorum.

De ancilla nobili que precio non est redempta.

Homo si dormierit cum muliere coitu seminis que sit ancilla et nobilis. et tamen precio non redempta. nec libertate donata vapulabunt ambo et non morientur quia non fuit libera. Videtur tamen lex sancire contraria. Nam in deuteronomio. si desponsata fuerit virgo. et dormierit vir cum illa. iubet utrumque lapidibus obrui. Si igitur ancilla fuerit et desponsata. et oppresserit eam aliquis. numquid quia desponsata est occidentur. aut quia ancilla plagis tantummodo corripientur. Ergo fortasse quod de plagarum disciplina precipitur. ad ancillam que sponsum non habet referendum est. Illicitum siquidem et morte dignum videtur alienum violare matrimonium. sive libera sit mulier: sive an ancilla. Si igitur de his que maritale inire consortium. hic agitur scriptum. quid est quod ancilla violata precipitur ut vapulent utique mulier cum corruptore suo et non moriantur. Dum enim in ancille oppressione mors oppressori simul et fornicarie que illi consentit remittitur. videtur subintelligendum. quia si mulier libera esset ambo mortis supplicio plecterentur. Quod tamen si requisieris. aliter esse reperies. In deuteronomio namque sic legitur. Si invenerit vir puellam virginem que non habet sponsum. et apprehendens concubuerit cum ea. et res ad iudicium venerit. dabit qui dormivit cum ea patri puelle cen